

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nandos proponas, & cum sperem, ipsos in his nihil improbare, subscribere singuli sua manu velint. Sin aliquid desiderent, ut mihi hoc quoque aperiant, Transmissi sunt etiam ad alias Ecclesias Suevicas, & hactenus pium consensum deprehendi, de reliquis nihil dubito. Et cum substantia doctrinae celestis de commemoratis quinque partibus, tanquam quinta essentia, in his articulis comprehensa sit, nulla re magis adversariorum clamores reprimere possemus, quam testimonio talis consensus. Quod si de phrasibus litigaretur, facilis eorum quoque compositio inveniretur. Modo nunc id patefacere liceat, in substantia & fundamento omnes consentire, qui his articulis subscribunt. D. Georgius Major, cum essem Wittebergæ, affirmabat, se in explicacione de Cœna Domini & Majestate hominis Christi nihil prorsus desiderare, sed per omnia probare. Idem etiam in reliquis articulis. Age ergo, per hunc Tabellarium responde. Nihil dubito, D. Illyricum etiam subscripturum, quo conficio & articulos conscripsi, & apud Wittebergenses tentavi. Nunquam vos & ipsum hujus subscriptionis pœnitebit. Nam vera sunt omnia, & non fui hic generalista, sed medullam controversiarum, quod scio, tetigi. Id quod intelligunt docti, & harum controversiarum gnari. D. Illyricum etiam meo nomine diligenter salutabis. Cui scripsissem etiam, nisi infinitæ occupationes etiam me breviorum in his redderent, & spero, Dominum Hartmannum de toto hoc negotio ad vos diligentissime scripsisse. Bene & feliciter Vale. D. D. Collegas vestros & Sanctissimam Synodum vestram, cum reliquis Reipublicæ vestræ proceribus ut reverenter meo nomine salutetis, etiam atque etiam oro. Singulis scribere non possum, proximè plura 25. Martii, qui meus Natalis, est, quo 41. ætatis meæ annum per gratiam DEI complevi, 1769.

*Tuus ex animo frater & amicus,*

Jacobus Andreæ, D.  
ut semper.

CLIX.

*Salutem in Christo Jesu. Reverendi & clarissimi Viri,  
Domini & fratres colendisissimi.*

**L**iteras Vestras, nuper ad me scriptas, Calendis Aprilis accepi, quæ sane mihi longe gratissimæ fuerunt. Perspexi enim non modo eximiam vestram in DEUM pietatem, verum etiam singularem erga me benevolentiam, & piam sollicitudinem, pro qua charitati vestræ immortales ago gratias, & DEUM oro, ut D. Vestras quam diutius.

diutissime salvas & incolumes conservet. Ad clamores & vanitatem adversariorum callum duxi. Et uxori meae ante discessum praedixi futurum, ut talia de me spargantur, ne forte patiatur sibi vanam sollicitudinem creari. Argumentum est hoc summi odii adversariorum contra me, quos ego & opto & praecor converti ad Dominum DEUM viventem, quibus metuo infernum paratum esse. Quod ad articulos consensionis attinet nuper transmissos, video in iudicio & censura vestra gravissimam non modo eximiam eruditionem & pietatem Vestram, verum etiam prudentiam vere Theologicam, qua prospicere videmini omnia impedimenta, quibus occurrendum est, si institutum nostrum persequi volumus. Et sane ipse quoque non modo vidi, sed jam pridem etiam illis mederi sum conatus, idque, ut arbitror, non frustra. Rectissime autem iudicatis, non vobis haec à me scripta esse. Siquidem jam multorum annorum inter nos est pius & perpetuus de omnibus partibus doctrinae Christianae consensus. Sed propter eos est tentatum, qui hactenus in testibus dissidiis Ecclesias nostras pie constitutas exercuerunt, quibus contentionibus nisi occurramus, aut saltem modum statuamus, metuo, ne Ecclesiae nostrae, non adversariorum crudelitate, sed nostris certaminibus evertantur. Exemplo sunt Orientales Ecclesiae, quibus status nostrarum Ecclesiarum non est valde dissimilis. Haec causa me movit, ut tandem aliquid ausus sim tentare. Et quidem cum D. Illyrico egi hac de re fere ante biennium, occupationes autem infinitae obstitērunt, quo minus scripturam aggressus sum. Cum igitur superiore anno in Saxonia agerem, occasionem hanc nullo modo negligendam esse duxi, & nulla valetudinis ratione habita, Wittebergam me confero, ut liceret de his capitibus cum Theologis coram colloqui. Quoniam vero nemo aderat praeter D. D. Majorem, nec paucitatem doctorum mihi obstare passus sum. Confero ergo cum ipso, cui institutum meum summopere probabatur. Altero die, cum peteret, ut breviter annotarem, ex scripto sententiam meam recito, quam ipse non solum probabat, sed etiam copiam istorum articulorum, quos in itinere scripseram, petit. Promittit etiam Collegarum suorum nomine consensum. Quapropter quod ad illos attinet, non modo spero, quin existimo, me ipsorum consensum habere. Nec me movet Disputatio Aldenburghensis, quae ut male capta est, ita metuo, ne habitura sit pejorem exitum, nisi abruptatur & acta comburantur. Dolendum est, eos nunc demum in dubium vocare, quae nobis Papistae jam pridem inviti largiti sunt. Quanto cum offensiculo id sit conjunctum, pro vestra pietate judicare potestis. Et verum esse proverbium docent: nimum altercando veritatem amitti. Animis exacerbatissimis convenerunt, nec se invicem salute dignantes, quis aliquid boni sperare posset?

Thuringiacis vero Theologis ut satisfiat, per D. Illyricum negotium hoc commodissime expediri posset, ad quem hac de re copiosissime scripsi, & ut pietati vestrae literas legendas traderet, rogavi, quod haud invitus faciet. Ubi rationes mei consilii exposui, quas spero illi probatas fore. Non enim heri aut nudius tertius, sed jam

multis annis hanc rem sum meditatus, nec video aliam rationem nisi hanc solam superesse. Ei ergo ut vos quoque persuadeatis insturum, per Christum oro. Maledicta sit pax & concordia, quæ cum jactura veritatis est conjuncta. Nihil fucatum est in his articulis, nihil obscurum, nihil flexiloquum aut ambiguum, sed simplicissima Ecclesiarum nostrarum doctrina; quorum subscriptione si nihil aliud efficitur, tamen hoc summum esset, quod os obstrueretur adversariis, qui contendunt, nos in fundamento pugnare. Ego autem sic sentio, qui hos articulos ex corde subscribunt, nobiscum in fundamento consentire. Fundamentum enim seu quinta essentia articulorum istorum expressa est brevi hoc scripto. Et tantum abest, ut negativa & Antithesis sit omissa, ut maxima ex parte magis sint negativi, quam affirmativi articuli. In his ut brevissimus essem, permovit me exemplum Lutheri, qui in formula Concordiæ Sacramentaria singulari diligentia brevitati studuit. Sic enim contentiosa ingenia non habent occasionem affingendi novas interpretationes, quod in prolixioribus scriptis fieri solet. Et vulgus in statu causæ retineri utile est, & non deduci ad ea, quæ ad statum causæ non magnopere facere videntur. Hac ratio est totius consilii mei in conscribendis his articulis, & cur hac ratione & non alia comprehendendos existimaverim. Hanc vobis satisfactoram nihil dubito. Quapropter per amicitiam nostram oro, ut hanc formulam vestris & singulorum manibus non solum subscribere, verum etiam D. Illyrico autores & hortatores esse velitis, ut idem faciat, aut rationes ostendat, cur sibi nondum sit satisfactum. Quam sit hoc necessarium, jam aliquot annorum usum didici, & video; quam alieni a nobis incipiant esse magnæ authoritatis viri propter contentiones, quas ipsi non intelligunt, & facile possent componi. Ego video fundamentum veritatis in his articulis esse perspicue expressum. Judico etiam, omnes, qui passim Evangelium Christi sincere docent, subscripturos: Nihil obstantibus controversiis, quæ multis annis nunc durant. Quantum autem metum incuteret adversariis ejusmodi consensus publicum testimonium? Quantum quæso, confirmarentur nostrorum animi, cum viderint, de his articulis consensum inter nos esse? Qui igitur cum promoveret, ex numero filiorum DEI esse, nihil dubitabo: Qui vero impediens, sive id errore sive obstinacia quadam faciat, gravissime non modo in publicam pacem, verum etiam multorum infirmas conscientias peccare, minus dubito. Ideoque sicut consensus vester mihi est gratissimus, ita ut eundem etiam Illyrico persuadeatis, per Christum Dominum nostrum oro atque obsecro. Bene & feliciter valete in Christo Domino, Viri doctissimi, & mihi in Domino honorandi & charissimi fratres, & me vos mei compotem facite, & quam primum fieri potest, rescribite. Copiam enim tabellariorum habetis, qui crebro ad nos accedunt. Interim aliarum quoque Ecclesiarum consensum & subscriptiones me accepturum spero. Rogo etiam te, D. D. Marbachi, ut non graveris eorundem articulorum exemplar mittere Basileam ad D. Sultzerum & D. Coccium, amicos & fratres nostros, & idem meo nomine

ab ipsis quoque petere. Nihil enim dubito, ipsis quoque institutum nostrum probari. Similiter quoque D. D. Jacobus Grynaeus, qui in Röteln agit Superintendentem, ut ipse quoque videat, & cum suis Collegis, si probaverit, subscribat. Postremo ad Ministros Hagenoenses, D. D. Herbrandum & Collegas ipsius, qui omnes ad te mittere poterunt judicia sua, & inde ad me commodissime perferri possunt. Hoc officium DEO erit gratissimus cultus, cujus ego etiam grata mente perpetuo memor ero. Bene & feliciter valete iterum & in perpetuum, & Jacobum vestrum eodem amore prosequi pergite, quem mihi hactenus multis argumentis testatum fecistis. Ego vicissim vos & colere & venerari non desinam. Tertio valete. III. Aprilis, 1569.

Ego temporis angustia exclusus non potui describere exempla plura. Tua igitur D. quaeso curet unum huic Magistro descriptum dari, quod proferat Hagenoam, ut ibidem etiam subscriptione firmetur.

Qui exempla articulorum descripserit, huic ego libenter satisficiam, modo commemorati D. Doctores & Pastores habere queant, & negotium maturari.

R. D. V.

addictissimus frater

Jacobus Andreae.

## Inscriptio

Reverendis in Christo & clarissimis viris, pietate, doctrinâ  
& virtute praestantissimis viris, Ecclesia Argentoratensis  
Pastoribus & Ministris fidelissimis. Dominis, Amicis &  
Fratribus suis in Domino charissimis & colendis.

CLX.

S. D. Reverende &amp; Clarissime vir, amice colende.

DEdi ad te VIII. ID. JUL. literas prolixas de iis, quæ in Religionis negotio hactenus apud nos acta sunt. Ex iis adhuc quædam arcana & occulta esse volunt Domini mei, Ordinum Delecti quorum rogatu & sumptu in has regiones veni. Ipse etiam nolim colloquium illud, in quo de pace Ecclesiarum sancienda sententiam meam scripto complecti iussus sum, emanare. Quare hoc breve Epistolion mitto, cum isthic conventum brevi futurum esse intelligam, ut te orem, ne Epistolam illam à quoquam describi, aut à pluribus peregrinis, præsertim Principum Legatis, legi sinas. Imperatorem intelligo tantum permittere & tolerare in duorum Ordinum Ecclesiis Doctrinam &

O o 2

Ritus